DE VEGETATIONUM ORGANICARUM PATHOGENIA INAUGURALIS...

Ludovicus : a Ponte

DE

VEGETATIONUM ORGANICARUM

PATHOGENIA

INAUGURALIS ORATIUNCULA

QUAM

AD MEDICINAE ET CHIRURGIAE LAUREAM

ASSEQUENDAM

IN C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PROTULIT

LUDOVICUS A PONTE

BRIXIENSIS

PATAVII

EX OFFICINA VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXVIII



ILLVSTRISSIMO · VIRO

BARPTOLEMAEO · CAZZAGO

NOBILI · BRIXIENSI

PATRII · NOSOCOMII · MAJORIS · MODERATORI

OPTIME . MERITO

HVMANISSIMO · DOCTISSIMO : BENEFICENTISSIMO

HAS · LITERAS · STVDIORVM · SVORVM · FRVCTVS

DOCVMENTVM

IN · OBSERVANTIAE · ET · EXISTIMATIONIS

MNEMOSYNON

LVDOVICVS · A · PONTE

D · O · D ·

Commune et vulgare est habere solemnissimum illum diem, quo gravissimarum scientiarum alumni ad optatam metam perveniunt, et credere laetitiis omnibus dignam caerimoniam, in qua Egregii Viri, quemadmodum mos fuit veterum Graecorum, qui praestantissimos Minervae, et Martis cultores laurea corona donabant, meritis adolescentibus idem praemium in amplissima hac studiorum Universitate proponunt, atque impertiunt. Mihi quidem hujusmodi opinio illorum esse videtur, qui levitate, vel audacia quadam rem, ut oportet, non considerant, et quid denique progressu temporis futurum sit, quaerere fugiunt. Ego vero, ubi officii mei gravitatem, et medendi artem, quam amplexus sum, difficillimam perpendo, non possum, quin totus commovear, et doloris sensu futuros dies prosequar quibus prodeam, necesse est, in conspectum societatis integerrimus salutis vindex, et assertor. Itaque praeteritum adolescentiae tempus non sine invidia saepissime repeto, quod in studiis libere, et quiete actum ab omni sollicitudine, et querela immune fuit.

Accedit praeterea illa cogitatio, quod in hac ipsa die, quae pulcherrimam labori meo mercedem parat, divellor a Vobis, optimi, et doctissimi Praeceptores, a Vobis, inquam, quorum unusquisque pater magis, quam patronus, innumera in me, tamquam in filium, beneficia contulit, timido et imperito adolescenti animum addidit, latas medicae scientiae provincias aperuit, ducem se fidelissimum per omnes ambages praebuit, et ad gloriae templum iter stravit. Quapropter me Vobis summopere devinctum, et quod in posterum vestra praesentia caream, dolentem ingenue credite, et humaniter suscipite, Viri clarissimi, dum hoc tempore sapientiae vestrae perexiguum diligentiae meae specimen subjicio, quod ad consequendos summos honores iis, qui medicorum studiorum curriculum confecerunt, Academicae leges in medium afferre praescribunt. Hoc tandem quodcumque est, vestrum est; ex vestra enim disciplina totum hausimus, et ad normam consiliorum vestrorum instituimus; nec publica umquam luce dignum judicaremus nisi esset antea vestro judicio sancitum, et quasi manu obsignatum. Etsi autem sentiam, paucam aut fere nullam ex opere nostro utilitatem in medicinam redundare; tamen rem aggredior animose, quum illud prae oculis habeam, hoc laborum meorum, quos in adeundo scientiae vestrae sacrario jampridem impendi, certissimum fore pignus ac testimonium.

Constat ex organismi augmento, et regulari evolutione, effici in variis ejusdem partibus peculiarem processum per assimilationem, et nutritionem, quae nunquam intermissa est. Hallerus quidem in hoc augmento, et evolutione legem irritabilitatis semper deprehendit, Bruno autem legem incitabilitatis, qua mixtum organicum optime usque consentit cum agentibus externis circumstantibus, et cum internis, quae illud ipsum in se continet. Aliquis vero in ea opinione fuit, ut existimaret, solam incitabilitatem organismo non sufficere, sed organicae reproductionis legem accedere, quum videret, ex incitabilitate organismum diutius agens ad dissolutionem suam proxime tendere. Atque haec reproductionis lex, incitabilitate conjuncta, illa demum est, quae aequilibrium, a quo vitae processus pendet, constantissime servat. Jam in corpore animali est perennis renovatio organicae substantiae, quae ex magna parte fit a varia mutatione chemicarum vitalium affinitatum, quas affinitates reproductrices vocabimus. Has autem, nisi tali nomine, certe ratiocinio suo cognovit vir acutissimi ingenii Albertus Hallerus, quum dixit, hominem singulis septem annis fere immutari. Nos profecto in organismo quotidie fieri mirifice observamus multiplices secretionis, et excretionis processus, in quibus naturalis evolutionis, et organicae conservationis ordo consistit. Sanguis qui ad irrigandum organismum a corde fluit, postquam chemico-mechanica, et vitali respirationis o-

pera in pulmonibus ad hoc officium sese praestitit, ad idem cor refluit iis destitutus principiis, quae ipse secretioni jam communicavit, ac propterea inferiorem notam induit. Absoluto per secretiones nutritionis processu, quidquid superest, diversis excretionibus statim se immiscet, vel ad primarium fontem, ut dixi, regreditur, ut primas qualitates recipiat, atque iterum sanguis arteriosus fiat. Ipsa sanguinis circulatio est causalis impulsio et praecipua essentia organicae vegetationis lata significatione sumptae; quae deinde temperata juxta diversas conditiones, quas organismum ab utero materno acquisivit, alia in aliis apparet; atque id in causa est, cur hominem robustum a debili, rudem a delicato, et generatim sexum masculinum validiorem a graciliori foeminino distinguamus. Quum itaque hoc ponamus, omnia in organismo effici serie fere infinita secretionum et excrectionum, quibus regularis actionum et reactionum vicissitudo viget, liquet evidenter, ex illorum errore, sublatoque aequilibrio organicam affinitatem laedi, atque hinc innormale, ut dicunt, fore quidquid a vegetatione producitur. Quae quidem innormalitas morbosus processus gignet.

Lege affinitatis, quae cum actionis et reactionis vitalis lege, et cum naturali organorum distributione conjungitur, diversa elementa ad diversa organa feruntur, eorumque vegetationem promovent. Id a

digestione primum exorditur, quae alimentorum substantias actioni chemico-vitali subjectas in chylum convertit, qui cum a systemate albo ad rubrum transeat, instaurat, quod amissum fuit. Nec organici augmenti phaenomena tantum chylo tribuenda sunt; magnam enim in iis partem habent tam respirationis, quam inhalationis processus. Certe per respirationem oxygenium aeris sanguini immiscetur; per absorbentem superficiem cutaneam ad sanguinem transmittitur, quidquid atmosphaera a qua homo circumvenitur, subtrahit; atque haec absorptio, quae nihil aliud est, quam quod digestione et respiratione efficitur, functiones omnes regit, et hinc quamlibet secretionem inducit. Ex hoc consequitur duplex vasorum actio, una nutriendi secernendi altera; ex qua duplici actione duplex oritur morborum genus, quorum primum ad nutritionem morbosam, ad morbosam secretionem alterum pertinet; vegetatio autem morbosa in se unice considerata tam illius, quam alterius simul conjunctae effectus erit.

Ut autem ordine progrediar in iis, quae breviter mihi dicendum propono de morbosis vegetationibus a morbosa nutritione, et secretione profectis, sequor ego divisionem physiologicam quatuor systematum partium; quae systemata sunt *osseum, cellulosum, vasculare* aut *vegetans, nervosu*. Quemadmodum vero hoc ultimum illud est, quod vivum regit or-

ganismum, quippe quia vitae animali, et vitae organicae praeest; ita demonstradum suscipiam, qua ratione hujusmodi systema sentiat actionem morbosarum vegetationum, ac proinde reactione sua multiplicem phaenomenorum varietatem importet.

Fibrosam texturam in osseo systemate apparere et adesse observamus; quare Anatomici fibram osseam in gelatinam animalem stipatam, et in phosphatum calcareum distinxerunt. Haec quidem fibra ossea, ut normaliter nutriatur, et conservetur, communicare debet cum systemate vasorum, quae ad periostium circumscripta vehunt ibidem elementa, quae fibram osseam constituunt. Quod si ipsa aberret in communicando, vitium exurget nutritionis simul et secretionis. Quapropter facile observamus in rachiticis parvam hujus fibrae tenuitatem, falsam phosphatis calcarei proportionem, unde sequitur ossium incurvatio, cyphosis, spina bifida, osteomalacia, etc.; in syphiliticis exostoses, nodi, necrosis, periostii mortificatio; quae phaenomena non aliunde pendent, nisi a falsa ossium assimilatione, quam irritativa syphiliticae contagionis facultas inducit. Plura sunt Chirurgiae historiae exempla, quibus patet, magnas ossium portiones fuisse invicem divulsas ob phlogisticum processum, qui innormales reddit inter systema vasculare, et osseum communicationes: ommitto autem inusitatas illas mutationes, quae a-

liquam fracturam, luxationem, amputationem, sive aliquid simile sequuntur.

Innormalis nutritio, et secretio exclusiva latius in systemate celluloso, quam in osseo patet: hoc enim sustinet organismum, cujus pars est: illud vero communicationem habet inter omnia systemata partium, et non modo necessarium inter singula viscera vinculum jungit, sed etiam totum cutis apparatum componit. Hinc falsa ejus nutritio omnia laedet organa et absorptionis, et exhalationis functiones, quae illius systematis propriae sunt actionem morbosam in totum organismum explicabunt. Quod quidem clarissime arguitur ex illis membranarum mucosarum productionibus, quas polypos dicimus, et in membrana Schneideriana, in membrana interna uteri, vaginae, et recti intestini observamus; quae cum reliquum organismum magna nutritionis parte privent, mechanico et dynamico modo irritantes sunt, fatales phlogoses gignunt et si forte negligantur in carcinomata nulla arte vincenda convertuntur. Quod si de cutaneo apparatu sermo sit (quem si anatomice consideramus, et physiologice, intuemur esse praeterquamquod in consensu, etiam in antagonismo cum tubo intestinali, ex quo est illud Hippocraticum dictum, *Cutis stricta, alvus laxa, et viceversa*, observandae sunt pathologicae mutationes, quas ipse subit: quum enim in intestina, et hinc necessario in digestionem agat,

haec ipsa a qua nutritio pendet, omnia simul organa, et systemata comprehendat necesse est. Quamobrem ex observationibus illustrium Clinicorum, praecipue vero *Alibert*, nulla est impetigo, nullus herpes, nullum exanthema, quod non solum a falsa assimilatione, sed etiam a permanenti statu morboso tubi gastro-enterici non originem ducat. Profecto hi omnes cutanei systematis morbi blandam curam therapeuticam generatim requirunt circa conditionem pathologicam intestinalem, et inde curam diaeteticam opportunam exigunt, quae aberrantem nutritionis processum dirigat; constat autem ex medico-chirurgicis observationibus errore diaetetico plagam in suppurationem immutari, pus majori copia fluere, statum vero inertiae, et palloris plagae a meliori nutrimento animari. Nec hoc satis est, ut probemus cutem cum intestinis consentire; habemus praeterea phaenomenon illud singulare, quod a gastrica irritatione consequitur, idest erysipelas, cujus causa gastricus fomes est. Ad haec addimus sublatum in transpiratione aequilibrium, unde pertinaces diarrhoeae proficiscuntur. Posito quidem hoc consensu atque antagonismo, et quis est, qui in lupiis, in carnibus fungosis, in tumoribus cysticis, quae totidem morbosae vegetationes sunt, aberrantis nutritionis processum non recognoscant? Haec certae omnia, et alia praeterea, ex. gr. verrucae, porri, calli, qui ad instar parasitarum plantarum serpunt, et nutrimenti partem cuti subtrahunt, quosque Patho-

logi excrescentias vocant a plastica, et luxuriosa vita manantes, non modo nutritioni aliquid demunt, sed etiam innormalem faciunt absorptionis et exhalationis processum; quare ego concludo, cellulosi systematis affectiones in universa organismi systemata agere debere.

Jam de systematis vascularis actione nonnulla tetigimus, quum de osseo, et de celluloso verba fecimus. Hujusmodi vero systema vel lymphaticum, vel venosum, vel arteriosum, vel capillare est, hos gradus servat, ut nutritionem et secretionem efficiat. Admissa in tubum intestinalem alimenta, postquam perfecta est masticatio, chimyficatio, chylificatio, sufficere debent elementa chyli nutritiva, quae a mechanica digerentium organorum actione, eorumque vitali vi, a chemica actione salivae, succi gastrici, bilis, et succi pancreatici quodammodo fuerunt elaborata. Chylus, qui idcirco efficitur ad ductum thoracicum transit, et in subclavearem sinistram venam erumpit, ubi valvula est quae impedit, quominus sese ocyus effundat, et ipsum guttatim fluentem misceri cum venoso sanguine sinit. Id quidem valde probabile esse conjecit Anatomicus praeclarissimus, et celeberrimus Physiologus L. M. A. Caldani. Hujusmodi viae, quas chylus tenet, ut sanguini immisceatur, vasorum vegetans systema constituentium seriem omnem demonstrant, et praeterea suas dynamicas relationes ostendunt, quae ex iis patent de

ejusdem Caldani conjectura enuntiatis. Imperfecta alimentaris substantiae assimilatio etiam in vasorum parietes innormalem actionem inducet; hi vero reagentes innormali modo nutritionem secretionemque vitiabunt. Tumor ille horribilis, quem potius insignem nominabimus morbosam vascularem germinationem, quemque fungum haematodem vocant, exemplum singulare est assimilationis imperfectae, quae a dyscrasia cancerosa pendet: hanc autem dyscrasiam non raro observamus accidere iis qui gravibus escis, gravioribusque potionibus indulgentes ita humorum massam corrumpunt, ut brevi ad dissolutionem ea tendat. Neque hoc in loco omitti debent glandularum mesentericarum infarcimenta et obstructiones, quas Celeberrimus Berolinensis Anatomicus Walter in cadavere quodam deprehendit; hinc tumores lympathici, glandularum conglobatarum, infarcimenta scrophula et struma, omnia denique illa vitia, quae dyscrasiarum nomine, organicam morbosam vegetationem praeseferunt primo, et lentam deinde ac singularem inflammationem inducunt, quam Practici *albam* dicunt. At progrediamur ulterius, et quinam sint intermittentium diuturnarum febrium effectus in visceribus abdominalibus videamus. Febres legitimae quas neoterici affectiones nervosas, ac convulsiones esse arbitrantur, consistunt in peculiari affectione nervi illius quem sympaticum appellant, quae systemati sanguineo communicata congestiones vasculares,

obstructiones, tumefactiones, induramenta, tandem organicas viscerum alterationes inducit. Nec jam raro observamus jecur, et splenem in immensam molem crescere consistentiam scirrhosam induere, et ad extremum exusdationes lymphae secum ferre, quae ex violenta vasorum pressione fiunt, unde ascites, tympanites, edema, anasarca, et alia hujusmodi. Opere pretium hic est organicae alterationis exemplum in jecore referre, quod ego ipse in Clinica Medica, auspice sapientissimo Brera, anno 1826 inspexi. Decumbebat aeger cui propter acutam phlogosim hepaticam jecur ita ultra normalem modum creverat, ut summopere mirarentur omnes qui aderant. Ita vero degeneraverat visceris substantia, ut prorsus in materiem adipo-cerosam immutata fuerit, quae secta distinguebatur parvis punctis rubris, circulatione fortasse ibidem existente. Ille ascite occubuit, qui exitus erat acutae hepatitidis in jecinore antea explicatae. Bilis erat colore flavo-viridi, sed valde obscuro; ex quo etiam liquet, ad affectiones parenchymatis accedere affectiones textus sive apparatus secernentis. Ipsa quoque bilis, sive judicio Fourcroy in sanguine sit, sive ut sentit Parmentier, et Deyeux, mixtura istiusmodi vitae contraria videatur, morbosis vegetationibus obnoxia est. Quod si diligens Physiologus exempla quaerat, ea ex cotilecystihde, sive inflammatione cystis-felleae sumere potest. In hac enim reperiuntur calculi, qui modo sunt ad instar parvarum palearum, et lamina-

rum albi splendentes, crystallini; modo autem sub forma ovali, angulata, seu trigona apparent; quos omnes morbosae vegetationi a prava assimilatione inductae tribuimus. Quod hactenus de morbosa jecinoris vegetatione locuti sumus, idem dici potest quoad pulmones, paucreas et splenem; sed longiorem orationem prohibet tenuis hic labor, et quam mihi praescripsi argumenti brevitas. Tamen quoniam exitum inflammationum commemoravimus, liceat mihi quaedam dicere de mammarum indurationibus, quae sequuntur phlegmonosam earumdem inflammationem; hujusmodi indurationes tantum quandoque molis incrementum praeseferunt ut hoc aliquando ponderis ultra 20 libras aestimatum fuerit. Verum neque semper mamma per morbum excrescit. Habemus siquidem in museo pathologico celeberrimi hujus Archigymnasi ectypon cera effictum sanae mammae quam Theresia Ferulio adhuc vivens gerebat. Cum ultra semipedem intumuisset, et foemina tanto pondere laboraret, ab experientissimo Chirurgo Laurentio Fabris excisa fuit, et statera examinata pondus retulit librarum XIV. Juvat etiam insignem tumorem cysticum adiposum memorare ponderis librarum medicarum 52, vel metricarum 16, quem incredibili virtute abscidit Joannes Aloysius Portalupi, qui in piissima ac perutili familia à S. Joanne de Deo instituta medicinam, et chirurgiam Venetiis profitetur. Historia illa anno 1823 typis commissa summam hominum admirationem,

et desiderium concitavit. Hic tumor morbosam suam vegetationem incoepit sub exitum anni 1796, et parvum globulum, qui mobilis nec dolens erat, sub media sinistrae claviculae parte praeseferebat. Aloysius Tedeschi Veronensis, vir nobilis, eo laborabat. Die vigesima sexta junii anno 1823 tumor Clarissimi Portalupi dexteritate exstirpatus fuit felicissime, et brevi septem haebdomadarum intervallo homo prorsus convaluit. Ad ea nunc gradum faciamus, quae viri naturae studiosi observaverunt, quoad classes inferiorum animalium. Inter alia praestantissimus Spallanzani vidit caudam salamandrae, et recisum limacis caput reproduci. Phaenomenon istiusmodi primo quidem adspectu ad morbosas organicas vegetationes minime pertinere videretur; sed quum consideramus recisionem partis cujusdam animalis esse causam morbi phlogistici: ita asserimus, hanc inter morbosas vegetationes esse adnumerandam, quoadusque saltem idem morbosus processus cursum suum absolverit. Quae cum ita sint, illud apertissime ostenditur, quod si in processum phlogisticum longa irritatio degeneret, et haec phlogosis ad exitum suppurationis inclinet, habebitur tunc morbosa aliorum parvorum vasorum pullulatio ad constituendum processum efficientem pus; quae pullulatio nihil aliud est, nisi verus morbosae vegetationis organicae typus. Nonnulli ex physiologis existimarunt, ipsam quoque generationem esse novorum vasorum quae constituerent germen, pullulationem; sed hoc

in casu morbosa non est pullulatio. In morbosis vegetationibus numerantur membranae spuriae, quae abscessus constituunt, mucosae condensationes, quae pseudo membranae videntur, ex. gr. membranae novae formationis *Croup* vel Cynanchem trachealem constituens; illae quae in pertinacibus diarrhoeis ab intestinis evacuantur; illae demum, quae, perdurante Cystirrhoea, in urina conspiciuntur.

Nervosum systema, a quo impressiones transmittuntur ad centrum maximum, ubi sese decomponentes et supercomponentes judicia, ratiocinia, sensationes producunt, atque inde per nervos secundi ordinis ad organa motus perveniunt, nervosum, inquam, systema illud est, quod quum harum morbosarum vegetationum actioni obnoxium sit, debet necessario phaenomena inducere aut immediata et idiopathica, aut remota et sympathica, quae aliquando a metastasi et metaschematismo pendent. Et revera saepissime accidit, ut affectio simpliciter cutanea in causa sit mentalium aberrationum; viscerum obstructio vertigines, cephalalgias, motusque spasmodicos excitet; et affectio ex tumore, in nervum gustatorium agente, impediat quominus aeger sensu gustus utatur. Euchistes cerebrales, quae proprie sunt transmutationes phosphatis calcis ossa componentis, parvulos nodos efficiunt, quos nimirum *Enchistes* vocamus.

Hactenus in morbosis organicis vegetationibus immorati sumus, quae indirecte in nervosum systema agunt; nunc vero observamus triplicem esse posse hujus actionis modum, videlicet mechanicum, dynamicum, assimilativum. Habemus quidem in artis historia fuisse quaedam cerebralia induramenta, quae profecto totidem exitus esse debuerunt processus phlogistici, lenti sive acuti; induramentum enim nonnisi ab inflammationis exitu cognoscimus. Quam inflammationem oportet exorsam esse ab irritatione primordiali, quae a processu nutritivo aberrante, causisque occasionalibus externis excitata in organa secernentia etiam egit: quapropter et hoc in casu morbosam vegetationem admittimus. Fungus ipse medullaris, ubi generatim accipiatur, haberi poterit tamquam morbosa vegetatio absoluta, quae aliquo modo ad nervosum systema pertineat. Verum qua nunquam ratione id affirmabimus? Multae enim quaestiones in diversam partem prolatae sunt; quumque illius fungi certior character nonnisi in colore, et constitutione consistat, qua ad medullam cerebralem proxime accedit, contendere simul possemus, hujusmodi phoenomenon derivari per accidens a systemate vasculari et esse morbosae immutationis effectum. Ex iis quae A. Velpeau observavit, quaeque in Archiv. gen. med. mensis januarii anni 1825 transcripta sunt, quod asserimus satis superque comprobatum est. Ipse in muliere ob paraplegiam mortua depre-

266

hendit ad superiorem regionem dorsalem substantiam quamdam peculiarem, quae totam faciem anteriorem contegebat funiculi medullaris, a sexto pare cervicali usque ad tertium dorsale: coloris erat subflavi, et fere rubiginosi: ejus situs intermedullam, et membranam arachnoideam erat, ita ut primum, cui penitus inhaerere videbatur, vehementer comprimeret: quapropter substantiae continuitas existebat inter textum, adjunctumque corpus: substantia hujus vegetationis apparebat cerebriformis; nec fibrosus, nec cartilaginosus ejus textus erat, nec aliquid cum materia tuberculosa, aut scirrhosa commune habebat; et in ea vasa sanguinea, et cellulosa filamenta deprehendebantur. Eadem prorsus ante mortem vegetatio erat ac in cadavere. Hae quidem conditiones fortasse tales sunt, ut opinioni physiologorum de functionibus motricibus, et sensitivis favere videantur. D. Koreff in journal. de physiol. exper. aliud in medulla spinali morbosae vegetationis exemplum animadvertit. In cerebro autem fungos cerebrales observamus, qui ex ejus substantia nati ita elevantur, ut ad externam partem progrediantur disjunctis aliquando inter se cranii ossibus. Quod si quodam physiologico-chemicum examen de eorumdem formatione institueremus, satis argumenti inde eliceremus ad concludendum, etiam in substantia nervosa morbosas vegetationes contingere; quo in casu nervosum systema directe laederetur.

Quod si ego liberiorem orationi cursum, adhuc darem, et vellem omnes physiologicas observationes de morbosis vegetationibus deque causis eas inducentibus recensere, quum phlogosis mutationis cujuscumque morbosae causa efficiens habetur, patientia vestra abuti viderer, et ea fortasse dicerem, quae hoc tempore minime convenirent, praesertim quum gravissimorum Virorum judicia, et opiniones oppugnare me dedeceret. Sed illud constanter affirmabo, phlogosis esse magna ex parte tribuendas has vegetationes: phologosim autem non semper, tamquam erroris assimilativi principium esse judicandam. Quantum vero, et cujusnam generis imperium in morbosam vegetationem chemica affinitas exerceat, id studiosissimis, et ingeniosissimis viris, et maxime iis qui doctrina insignes hic me circumstant, reservatum est demonstrare. Ipsi enim physico-chemicae scientiae recondita penetralia aliquando adhibunt, et ex institutis sapientissime observationibus, quid tandem stabiliendum sit ostendent.

Haec sunt quae de morbosa organica vegetatione coram Vobis, Praeceptores praestantissimi, pro ingenii mei tenuitate dicere habui. Si quid minus recte contra voluntatem disputatiunculae huic nostrae irrepsit, id mihi humanitas vestra, quae a vera doctrina nunquam sejuncta est, remittat, precor, atque condonet. De caetero Vobis hoc spondeo, in meque recipio, nullum tempus futurum, quo non

ego, ubicumque terrarum fuerim, summa Vestra in me merita recorder, et talem me societati praestare contendam, qualem decet, qui vestris doctrinis institutus ex sacrario medicinae prodierit, et studia sua in tutanda hominum salute collocarit.

THESES DEFENDENDAE

I.

Juxta industrioris pathologiae principia non datur vera processus morbosi intermissio.

II.

Typi morborum essentia universae naturae legibus subjicitur.

III.

Sanguinem quocumque in casu contagii immunem esse admittitur.

IV.

Non datur morbus absolute dynamicus.

V.

Febris legitima nunquam hyposthenica.